LÆTVS APOLLO

Magnificum & Excellentiſsimum Dn̄um D.

M. MARTINVM FOLTINOWICZ

Philoſophiæ Doctorem, in Academiâ Zamoſcenſi Profeſſorem Eiuſdem Academiæ renunciatum & confirmatum

RECTOREM.

Unâ cum Studioſâ Juuentute Scholæ Poëſeos VIII. Maij Anno Domini M.DCXL.

SALVTAT.

In Officinâ Typographicâ Academiæ Zamoſceñ.

SCEPTRA VIRTVTIS.



S urgunt virtutis R eclusæ lumina; ſurgi T
C unctus honos Muſis A lmis, mirabile dict V
E cclypſim Sceptra hęc V ero ſplendore repellun T
P ræmia promittunt I uſto præclara labor I
T ædia compenſant, R aros donāt quoq; honore S.

LÆTVS APOLLO.

AN rursùm lætus descendit ab æthere Phœbus
An peperit Phœbum Musa Zamosca sibi
Surgit Apollo hilaris cœlo delapsus ab alto
Rectorem Musis nunciat esse sacris.
Instituitq; suo festam de Numine lucem
Festus Aristotelis crescit in Vrbe dies.
Mnemosynę alma cohors Aganippidos amne relicto
Rectorem nostrum vocis honore crepant.
Musis Rector adest, Rector Aue, Rector aue inclyte
Te Pallas dignum de multis censuit vnum
Rectoris munus maximo honore dedit.
Te Dea Pieridæ speculæ conspexerat vnum
Omnis doctrinæ Mercuriale iubar.
Vellem Daphnæo redemitus tempora serto
Lecta Poëtificis verba ligare modis,
Me, non Vranimæ pellacia florea linguæ
Ornat, non valeo plectra mouere Lyræ.
Ipsa hilari Pallas Rectorem voce salutat
Musarum applaudit turba nouena tibi
Musis Rector adest, Rector aue, Rector aue inclyte.

Gaudet Hamadryadum cætus, Musæa Zamosca
Pollice doctisono iubila læta sonant
Circumstant Dryadum, Naiadum stipat & agmen
Circumstant fæto multa Napæa sinu.
Te superûm superâ delegit in arce Senatus
Te cupijt Pitho, teq; Thalia sibi
Musis Rector adest. Rector aue, Rector aue incly[te]
Iam Cytharam Euterpe cedit, Polyhymnia fila
Melpomene plectrum, Calliopea modos.
Quàm te Maiestas proceræ augusta staturæ
Condecorat, toto corpore prodit honos
Cui Dea Virgineum circumdata Gorgone pectus
Ingeniumq; potens, cor sapiensq; dedit:
Tres Charites Artes septemq; nouemq; sorores
Corde suasq; tuo constituêre domos,
Perpetuumq; tibi Cytherea quiescit in Vlnis
Triga pedissequium nec Charitum illa negat.
Musis Rector adest. Rector aue, Rector aue incly[te]
Incipiunt nobis Saturnia sæcula oriri
Læta fluunt lætis, tristia cuncta procul,
Pro genio, ingenioq; tuo cape Sceptra Mineruæ
Quæ dederat virtus, consiliumq; sagax.
Vasa Corynthiacis sunt qui producta caminis
Immensi passim sumptibus æris emunt,
Tena-

Tænarios alij lapides, Pariasq́, columnas
Conquirunt, alij fulua metalla Tagi
Eoas alij gemmas, viridesq́; Smaragdos
Et quæcunq́, vagus munera mittit Arabs.
Tu cole virtutem, feruens virtutis amator
Et cuius magnus semper ouabit honos
Omnia tu spernas quæ sunt obnoxia vento
O decus? ô nostræ splendor Academiæ!
Musis Rector adest. Rector aue, Rector aue inclyte
Rector in ignicoma Diuorum Iupiter arce
Regia Sceptra regit, sceptra verenda tenet
Aethereas regit hisce domos, orbemq́; gubernat
Illius imperio stantq́; caduntq́; bono, (orbem
Temperat omne malum, patulum quoq́; concutit
Per cunctas lustrans itq́; reditq́; vias.
Enceladus cecidit, cecidit Polyphemus in antro
Nequitiæ pœnas ambo dedêre suæ.
Rector Musæi Ioue non minor ipse Zamosci
Aonidum celsi gloria celsa Chori
Sunt duo sceptra Ioui, Rectori sunt duo sceptra
Corda hic, ille animos hic regit ille regit
Musis Rector adest, Rector aue, Rector aue inclyte
Ille regit dictis animos, & corda Sophorum
Illi est facundi flexanimum oris epos.

Mentibus instillat virtutum semina clara
Illa serè vt posſit prendere quisq; manu
Firmiter vnanimes gratanter nectit amicos
Omnibus his animos conciliando placet.
Imperium quisquis tollit venerabile munus
Is nitidum Phœbi tollit ab orbe iubar
Vt nihil vtilius Phœbeæ lampadis igne
Sic abs imperio res quoq; nulla valet,
Solem deme, nigris involues cuncta tenebris
Hoc adime, è vita lumina cuncta feres.
O pietas! ô dignus honos! laudandaq; virtus
Quêis dotata bonis mens generosa tua est.

Musis Rector adest. Rector aue, Rector aue incly

Viue ergo felix, felicia tempora viue
Aeternum Musis viue vireq; sacris,
Euboici numerum quater exple pulueris: auctos
Titoniq; Phrygis viue, reuiue dies
Non tamen arescas turpatus tempora canis
Sed veluti vegetus Sapphica cura Phaon
Annos tot repleas longæuus in orbe superstes
Quot rapidus rapidas Vistula voluit aquas.
Clara dies niteat nunquam visura sepulchrum
Nec finem vitæ Parca seuera gerat

Clara

